ad mores. Sunt enim bellatores plerumq; adulteri & ſcortatores. Nec illud caret ratione Phyſica, quòd Venus & Mars fingunt ſe mutuo amare. Mars enim, cuius ſtella ignea eſt, ſignificat calorem, & Venus humorem temperatum, è quibus duobus conſtat generatio. Neptunus autem ligatos ſolvit. nam aqua, contrarium igni elementum, extinguit calorem. Sol adulterium detegit. Bellatores plerumque ſunt adulteri.

NEC TE CLYMENEQVE] *In Rhodo Inſula ferunt eſſe tantam ſerenitatem cæli, ut nunquam non aliqua parte diei Sol conſpiciatur. Hinc fingitur Rhodos amata à Sole, perinde ac ſi quis fingat Pruſsiam à Borea amari, eò quòd Boreas fere perpetuo in hac regione ſpirat.* E Marte & Venere conſtat generatio. Rhodos adamata à Sole.

THVREA SVRREXIT] *Arbor thurifera eadem ratione fingitur amata ab Apolline ſeu Sole, qua Laurus, videlicet quòd gaudeat locis maxime apricis, & ferat fructus ad ſalutaria remedia utiles.*

FAB. VI. AT CLYTIEN &c.

De Clytie in Heliotropium.

Deſcribit hac metamorphoſi naturam Heliotropii; in qua herba tantus eſt amor Solis, ut cum ipſo circumagatur, & quocunq; ſe verterit Sol, eodem flectat cacumen; noctu etiam, tanquam deſiderio Solis, contrahat florem. Heliotropium cum ſole circumagitur.

Huius herbæ ſimiles ſunt aulici Gnathones, qui ſe in omnibus rebus accommodant ad voluntatem regum, nihil niſi ad gratiam loquentes: & quocunq; eorum inclinat animus, eodem ipſorum quoq; mentes inclinant ac propendent. Aulici Gnathones ſimiles heliotropio.

FABVLA VII. IIX. IX. X. ET XI. DIXERAT ET &c.

De Daphnide, Scythone, Celmo, Smilace, & Salmacide.

Hic videtur in ſaxum mutatus, eò quòd hauſto poculo amatorio, fuerit oppreſſus ſtupore: idque indicari his verbis: Daphnis.